



30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

VI-26.

SIGNAT. ciobcccxiij.

Stückzettel erled.
11. XII. 1949.



DISPUTATIO XV.

ETHICA

De

AMICITIA.

Quam

DEO TRIUNO ANNUENTE

In Inclÿta & celeberrima Academia VVittebergenſi,

PRÆSIDE

Clariffimo & Excellentiffimo Philoſopho

Dn. IACOBO MARTINI, HALB:

Logices & Praët: Philoſoph. Pro-
feſſore publ.

Proponit & defendendam ſuſcipit

TOBIAS HENCKELIUS

HALBERSTADIENSIS.

Ad diem 26. Octob. Horis Locoq̄ ſolitis.

VVITTEBERGÆ,

E Typographéo JOHAN. GORMANNI.

Anno: Honettaſis perpetuo Comes InVIDIa.

90

Vere-
probr
avocat
nover;
mines

quæ est
elpectu
us cupi-

ecundia,
gant.

citur, sic

or ex eo,
od rebus

llu natu-
irtute est

& lau-
xu



DISPUTATIO XV.

DE

AMICITIA

DE AMICITIA

DE

DEO TRINITY ANNUNTIAT

DR. JACOBUS MATHIAS HALLER

TOMAS HENCKELIUS

EDITIONIS ANNO 1711





DISPUTATIO XV.

Quæ prior

DE AMICITIA.

Continuatio.

Post specialem contemplationem singularum, virtutum, cum Philosopho accedimus ad considerationem *AMICITIÆ*, quæ, licet virtus non sit, magnam tamen cum virtute videtur habere cognationem (a) ita ut non incommodè suavissimus (b) virtutum nonnullis dicatur fructus, omnique hominum conditioni apprimè utilis & necessarius.

(a) *Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 1. Piccolom. grad. 7. Philos. Moral. cap. 1. & 11. (b) Idem Piccolom. ibidem cap. 1, 8, 10. & 22.*

Thesis I.



T autem rectè progrediamur, tenendum initio est, nos non de amicitia, quæ etiam in rebus animatis deprehenditur; aliàs *συμπάθεια*, sicut contrarium *ἀντιπάθεια*, nuncupata: (c) sed quatenus pressius, magisque propriè sumta, juncta est cum ratione, solique competit homini, (d) locuturos.

A 2

(c) De

(c) De quibus multa Scaliger Exercit. 344. sect. 2. & seqq. (d) Piccolom. de rer. def. pag. 252.

II.

De hac autem meritò præcipit Ethicus. Nam licet, ut diximus, virtus non sit; tamen cum virtute conjuncta est maximè, quatenus in mediocritate consistit: quatenus propriè ad viros bonos pertinet: quatenus in vita hac civili magnum usum habet, & justitiæ respectum tenet.

Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 1.

III.

Deindè cum in Ethicis de Beatitudine agitur, etiam de amicitia agendum est: cum amicitia magnum momentum habeat ad vitam bene beateq; (e) transigendam. Beata enim vita est secundùm naturam maximè, quæ consistit in animorum & corporum conjunctione: unde & homo rectè nominatur & est ζῶον πολιτικόν (f)

(e) Lib. 1. Eth. Nicom. cap. 7. ibid. cap. 8. & lib. 9. eor. cap. 9. (f) lib. 1. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 9. eor. cap. 9. & lib. 1. polit. cap. 2. & lib. 3. eor. cap. 4.

IV.

Et quomodo Ethicus non de amicitia agere debeat: siquidem hæc ad vitam civilem omnibus est necessaria? Infantibus *πρὸς τὴν τροφὴν ἢ παιδείαν*: Juvenibus *πρὸς τὰς καλὰς πράξεις*: Senibus *πρὸς τὴν θεραπείαν καὶ βοήθειαν*: Divitibus *πρὸς τὴν φυλακὴν καὶ χρησιν*; Pauperibus etiam *πρὸς τὴν καταφυγὴν*. Unde facilè cernimus; amicitiam civitatibus quoque esse necessariam: quia concordia & amicitia, civium animi conjunguntur in rebus gravibus ad utilitatem Reip. pertinentibus.

Arist. lib. 9. Ethic. Nicom. 6.

V.

De amicitia igitur acturi hac disputatione proponemus ejus definitionem, itemq; species per se & cum civili societate comparatas. De cæteris in sequenti disputatione præcipiemus.

VI.

Definimus (g) Amicitiam *ἔννοιαν ἐν ἀνὴπεπον θόσι μὴ λανθάνουσα.*

(g) Arist.

(g) Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 2. lib. 2. Magnor. Moral. cap. 9.
lib. 7. Ethic. Eudem. cap. 1.

VII.

Dicitur benevolentia propterea: quia hæc est cum amore
conjuncta & cum amabili, quod est objectum amicitiae (h) Dici-
tur mutua: quia ἀντιφίλησις in amicitia omnino (i) requiritur.
Dicitur non occulta: quia amicus amico manifesta præstare de-
bet benevolentiae officia, ne suspicio locum habeat.

(h) Acciajol. in Comm. Ethic. lib. 8. cap. 2. n. 13. (i) Arist. lib. 8.
Eth. Nicom. cap. 5.

II X.

Alij Amicitiam ita definiunt: Amicitia est proborum ho-
minum mutuus, conspicuus, confirmatusq; amor, ex probitatis
cognitione consurgens, ad vitæ honestæ conjunctionem perdu-
cens.

Piccol. grad. 7. cap. 3. Danaus Eth. Christ. pag. 322. Casus in
spec. quest. moral. pag. 504.

IX.

Cæterum ut objectum Amicitiae est φιλητὸν, amabile,
specie tamen differens tripliciter: ita quoq, Amicitia ipsa tri-
plex est: Honestæ, Jucundæ & Utilis. Quarum tamen prima sal-
tem propriè & per se dicitur Amicitia: quòd sit perfectæ, firmæ
(k) stabilis: reliquæ duæ impropriè sive (l) per accidens.

(k) Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 3. (l) Acciajolus lib. 8. cap. 5.

X.

Dicitur autem Honestæ καὶ τὸ αὐτὸ, κυρία, καὶ τελεία amici-
tia: 1. Quia solum in viris bonis locum habet: qui se mutuo
propter se amant. 2. Quia est firmissima propter virtutem, quæ
(m) firma. 3. Quia in se continet omnia φιλητά. 4. Quia non
dat locum calumnijs, injurijs & suspicionibus, ut cæteræ: Ami-
cus enim est alter (n) ego: jam verò, nemo sibi iniuriam, si sanus
sit, infert. 5. Quia est rarissima: propter viros bonos qui rari
sunt: Unde ex omnibus seculis vix tria aut quatuor paria amico-
rum reperta (o) sunt. Imo, ut Poëta ait:

— Vix sunt numero totidem, quos
Ithebarum porta, vel divitis ostia Nili.

A 3

(m) Arist.

(m) Arist. lib. 1. Eth. Nicom. cap. 10. lib. 8. eor. cap. 3. (n) ut refert
ex Philosopho Cicero; & apud Laetium lib. 7. cap. 1. Zeno Citti-
ensis. (o) ut iterum testatur Cicero. (p) Iuvenal. Satyr. 13.

XI.

Non autem amicorum copiam hæc Amicitia (q) admittit:
1. Quia summus amor in plures se non extendit. 2. Quia multi
uni tempore uno vehementer placere non possunt. 3. Quia qui
multis sunt amici, omnibusq; familiariter utuntur, nulli videntur
esse (r) amici: Unde si quis multos habeat amicos, omnibus fa-
miliariter occurat, & suaviter cunctis conversatur & colloqua-
tor ille neminem verè, sed civiliter tantùm amare videtur. 4.
Quia, ut modo diximus, bonorum, quibus cum perfecta amicitia
contrahenda est, magna paucitas. 5. Quia mutua illa cog-
nitio perquam difficilis, propter longum usum: Nam multi modij
salis simul edendi, ut amicitia munus expletum (s) sit.

(q) Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 6. & 9. eorund. cap. 10. Piccol.
grad. 7. cap. 15. (r) lib. 9. Eth. Nicom. cap. 10. Piccol. l. citato (s) Ci-
cer. in Læl. Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 3.

XII.

Amicitia jucunda talis dicitur κατὰ συμβεβηκός: partim
quod cernatur in juvenibus secundùm affectus (t) viventibus:
partim quod voluptate instituat.

(t) Arist. lib. 1. Rhetor. ad Theod. cap. 10. lib. 7. Phys. c. 3. t. 20. lib.
8. Eth. cap. 3. lib. 10. eor. cap. 9. lib. 3. Top. c. 2.

XIII.

Amicitia hæc valdè est instabilis: 1. quia juvenilis animus
est quovis Euripo mutabilior: 2. quia voluptas illa, quam juve-
nes sequuntur, momentanea est: 3. quia varietate affectuum
nunc huc nunc illuc fluctuant.

XIV.

Amicitia utilis, ad quam refertur Φιλία Ξενική, utpote
utilitatis gratiâ contracta, etiam amicitia est κατὰ ὁμοιότητα καὶ
κατὰ συμβεβηκός: 1. quia non viros bonos respicit; sed avaros, &
eos, qui plerumq; servili sunt præditi animo: 2. quia non mutu-
a conversationem requirit: cum etiam in locis diversissimis u-
tili-

utilitatem alter alteri inferre possit: 3. quia non firma est, sed facile dissolvitur sublata utilitate. Tamdiu enim durat, quamdiu quaeritur.

Arist. lib. 8. Ethicor. Nicomach. cap. 3.

XV.

Huc pertinent Gnathones & assentatores, de quibus recte dicitur *Ἐὶ χύττα ἢ Φιλία*: Et illud Martialis lib. 9. Epigram.

Hunc quem cana tibi, quem mensa paravit amicum,

Esse putas fide pectus amicitiae?

Aprum amat & mulos & sumen & ostrea; non te,

Tam bene si canem, noster amicus erit.

XVI.

Interim aliquam constituere possumus similitudinem inter has amicitiarum species. Nam honesta quoque in se habet jucunditatem ex virtutum (u) actionibus, & utilitatem, cum virtus semper (x) proficit.

(u) *lib. 1. Eth. Nicom. cap. 8.* (x) *lib. 3. polit. cap. 7.*

XVII.

Deinde interdum etiam stabiles & diuturnae fieri possunt utilis & jucunda amicitia: quando voluptates & utilitates exaquantur: aut quando ex diuturna consuetudine vitae & morum similitudo contrahitur, tum amor etiam propter se existit.

Aristot. lib. 8. Ethicor. Nicomach. cap. 4.

XIX.

Discrimen autem multiplex facile inter has species colligere etiam ex praecedentibus possumus. 1. Amicitia enim honesta solum in viris bonis cernitur: jucunda & utilis etiam in malis. 2. Amicitia honesta est sine calumnijs, utilis & jucunda saepe cum plurimis. 3. Amicitia honesta habet omnia tria *Φιλία*, utilis & jucunda haec separata habent. 4. Amicitia honesta amicos facit per se, jucunda & utilis per accidens.

Arist. lib. 8. Ethicor. Nicomach. cap. 4.

XIX.

Sed quaestio est: cur ad veram amicitiam etiam convictus requiratur & conversatio? Respondemus propter particu-

latam

Iam in definitione Amicitiae traditam: quod debeat esse MUTUA.
Nam convictu animus maximè declaratur mutuus: & sæpè con-
victu sublato sublatae etiam sunt amicitiae: & amicitia non est
inter eos, quos convictus non conglutinat, ut senes & juvenes:
& convictus in fortuna adversa facit, ut alter alteri succurrat &
opem ferat.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicomach. c. 5.

XX.

Colligimus hinc primò: absentes se quidem mutuò amare;
sed hunc amorem esse solùm *κατὰ τὸ ἐξω*, non autem *κατὰ τὸ ἐνέργειαν*.

XXI.

Colligimus hinc secundò, senes ad amicitiam colendam in-
eptos esse; cùm sint difficiles, morosi, queruli, ad conversationes
jucundas imparati.

XXII.

Cùm ergo convictus requiratur in amicis, meritò querere
hic quispiam posset: an etiam convictus talis amicus possit esse
cum multis?

XXIII.

Respondemus homines quidem multis prodesse posse ju-
cunditate & utilitate; virtute & honestate paucis. Nam in sum-
mo & vero amore pauci sunt: pauci multis verè placent: pauci
sunt viri boni: pauci longo se usu explorant & probant.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicom. c. 6.

XXIV.

Sed collationem quandam si instituere velimus inter ju-
cundam & utilem amicitiam; rùm jucundam propiorem hone-
stæ, utilem remotiorem faciliè defendemus: quia utilitatem qui
spectant, serviles homines sunt (aa) & sordidi: quia etiam Beati
potius jucundos, quàm utiles amicos expetunt; utpote quòd
nullà re (bb) egeant.

(aa) *Arist. lib. 1. Rhetor. ad Theodoct. cap. 9.* (bb) *lib. 1. Ethicor.
Nicom. cap. 7. lib. 9. eor. cap. 9.*

XXV.

Principes autem & Magnates non solùm jucundos amicos
querunt, sed & distinctim utiles. Et utilibus delectantur, veluti
consiliarijs & quaestoribus; & jucundis, ut scurris & alijs aulicis.

26 Atq;

XXVI.

Atq; haecenus prima Amicitia divisio fuit: sequitur altera, ex dignitate personarum, in amicitiam coeuntium, promanans; haecq; consistit vel ἐν ἰσότητι & aequalitate; vel ἐν ὑπεροχῇ quadam excellentia.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicom. cap. 7.

XXVII.

In aequalitate consistens amicitia qualis esse debet, ex superioribus facile colligimus: nempe in qua amici sibi aequalia praestant officia, aequales ipsi dignitate, conditione & bonis alijs.

XXIX.

In excellentia verò, quando in aliquibus major est, & vitae conditio & dignitas, in aliquibus minor: veluti inter Principes & subditos, parentes & liberos, dominos & servos, divites & pauperes.

Aristot. c. antea l.

XXX.

Pythagoræi verò semper in aequalitate, nunquam in inaequalitate posuerunt amicitias: quos ut & nos sequamur, facile hanc excellentiam ad aequalitatem reducemus, quæ tum fiet; si, exempli causa, subditus majorem observantiam, honores, & amores principi exhibeat, princeps subdito in omnibus minora.

Aristot. c. antea l.

XXX.

Non tamen eadem hujus aequalitatis est ratio cum illa, quæ in Justitia (cc) cernitur: aut quæ in cæteris est virtutibus (dd) moralibus. Nam in Justitia primum locum habet aequalitas dignitatis, alias dicta proportio (ee) Geometrica aut aequalitas (ff) πρὸς ἡμᾶς. In amicitia autem primò respicimus aequalitatem (gg) quantitatis: quæ alias est dicta proportio (hh) Arithmetica; aut aequalitas (ii) τὸ ὄντι.

(cc) Lib. 5. Eth. Nicom. cap. 2 (dd) lib. 2. Eth. Nicom. cap. 6. (ee) ibi-

dem (ff) lib. 2. Eudem. cap. 3. (gg) lib. 8. Eth. Nicom. cap. 7. (hh) lib. 2.

Ethic. Nicom. cap. 6. (ii) Arist. ibid. & lib. 2. Eudem. cap. 3.

XXXI.

Cùm verò in amicitia duplex sit amor: alius consistens ἐν τῷ φιλεῖν; alius ἐν τῷ φιλεῖσθαι: quaeritur, an potius vis amicitiae consistat ἐν τῷ φιλεῖσθαι an potius ἐν τῷ φιλεῖν.

B

32, Re-

XXXII.

Respondemus, potius ἐν τῷ Φιλεῖν: cum laus virtutis magis in agendo, quàm (kk) patiendo consistat: cum etiam matres magis gaudeant amore in liberos activo, quàm passivo.

(kk) *Lib. 4. Eth. Nicom. cap. 1. Cicer. lib. 1. Officior.*

XXXIII.

Ambitiosi autem & Φιλότιμοι potius amari volunt, quasi honorarentur, & in magno precio haberentur: sed falluntur, quia amicitia honore semper est præstantior.

Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 8.

XXXIV.

Vera igitur manet Pythagoræorum sententia, qui eam saltem dicebant amicitiam, si inter amicos existeret ὁμοιότης καὶ ἰσότης: & eam firmam, si inter amicos uterq; secundum virtutem vixerit. Eam autem instabilem: quæ inter malos: aut quæ propter voluptatem aut utilitatem fuerit contracta.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicomach. c. 8.

XXXV.

Atq; hæc etiam de divisione altera: progredimur nunc ad tertiam, quæ ducta est ex causa amicitiae procreante & conservante, quæ est communio vel societas,

XXXVI.

Ut igitur communio duplex est: alia publica & politica, alia privata & domestica: ita etiam amicitia duplex defendi potest, ita tamen ut omnes hæc communiones & amicitiae ad Remp. & societatem publicam referantur: alias nequaquam sunt amicitiae, sed conspirationes.

Arist. lib. 8. Ethic. Nicom. c. 9.

XXXVII.

Si ergo ad Rempublicam amicitiae sint referendae; quaeritur porro ad quam: quia plures sunt Rerum publ. formæ.

XXXVIII.

Ergo cum tres, sint bonæ: βασιλεία, ἀριστοκρατία & δημοκρατία: tres etiam vitiosæ, τυραννίς, ὀλιγαρχία & δημοκρατία: rectè ad βασιλείαν referemus paternum imperium in liberos: ad Tyrannidem, herile imperium in servos: ad ἀριστοκρατίαν conjugium;

gium: ad ὀλιγαρχίαν eam potentiam, quam maritus solus, aut sola uxor propter dotis amplitudinem sibi sumit: ad δημοκρατίαν, amicitiam fraternam: ad ἀνομοκρατίαν eam potentiam, quæ existit absente Domino.

XXXIX.

In regia autem & paterna gubernatione, item in conjugali societate est ἐν ὑπεροχῇ: in Timocratia & fraterna societate amicitia est ἐν ἰσότητι: in malis societatis speciebus amicitiam non collocabimus.

Arist. lib. 8. Eth. Nicom. cap. 11.

Problemata.

1. An firmitior sit amicitia; quam quæ inter literatos & prudentes? N. (D.)
2. An inter Aulicos & Consiliarios vera possit esse amicitia?
3. An probandi sint amici antequam recipiantur & confirmentur? A.
4. An amici veri sint fures temporum? N.
5. An amicitia facile & citò cum aliquo contrahenda? N.
6. An ingratiã amici turpe quid licitũ sit committere? N.
7. An inter inæquales possit esse amicitia? D.
8. An ea amicitia firmissima, quæ inter viros juvenes studiosos contracta? A.
9. An Orthodoxus cum heterodoxo tutò possit colere amicitiam? Negat. dist.
10. An amor parentum erga liberos vebementior, quam liberorum erga parentes? A. prius.
11. An matres magis ament liberos, quam patres? A. prius.
12. An parenti omne tribuendum, & an ei imperanti in omnibus obtemperandum? N.

F I N I S.

Ornatissimo & Dilectissimo
Dn. TOBIÆ HENCKELIO Halber-
stadiensi Ethicæ disputanti amico exoptatissimo.

Nescit amicitia constans is neclere pactum,
Qui non signa prius callet amicitia
Hæc postquam teneas HENCKELI, spernis inanem.
Testis sunt theses, sat quibus artis inest
Nec saltem calles: verum deduces in actum,
Ut tua nos inter monstrat amicitia.

amoris ergò obtulit

Christophorus Ritterus Mansfeldensis.

A L I U D.

Quisq; suum præfert placitum; Mercator ad Indos
Currit, & inde domum crescere posse videt:
Adversum miles fidens fert pectus in hostem,
Nec minus hinc palmam quam mereatur habet;
Ast dum tu sudas HENCKELI currere clivo
VIRTUTIS; bona te non leviora manent
Te PHOEBUS sacrae faciet VIRTUTIS ocellum,
Et magnum in verbis consilioq; gravem
Filia resperso quæ vertice creta tonantis;
Ut niteant digitis fulva metalla tuis
Ut nihil ad tantas reliquorum sint bona dotes
Quas SOPHIÆ studium sedulitasq; parit.
Non mellis semper voti respondet avari,
Ac atrox miles sæpius ense cadit
Sed tibi quæ VIRTUS PHOEBUSq; & turba Sophorum
Atribent, nullâ sunt moritura die,

Honoris & amoris

apposuit

Joachimus Pomarius Magdæb.

Umg. VI 26

= [Dissertationes
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17



90
DITATIO XV.
ETHICA

De

CITIA.

Quam

UNO ANNUENTE

prima Academia VVittebergensi,

PRÆSIDE

Excellentissimo Philosopho

MARTINI, HALB:

Pract: Philosoph. Pro-
fessore publ.

defendendam suscipit

HENCKELIUS

RSTADIENSIS.

Octob. Horis Locoq; solitis.

TEBERGÆ,

JOHAN. GORMANNI.

Is perpetuo Comes InVIDIa.

Farbkarte #13

B.I.G.